





*15.* *A2*  
*1743, 5.*  
Q. B. D. V.  
DISSERTATIO ONTOLOGICA,  
QVA,  
VERITATE  
QVOD ENS SIMPLEX LIMITA-  
TVM REMOTA RESISTENTIA  
HAVD INVOLVAT CONTRADI-  
CTIONEM,  
CONSENTIENTE  
AMPLISSIMO PHILOSOPHORVM ORDINE  
ILLVSTRI AD VÄRNV M ACADEMIA  
IN DIE XXIII. FEBRVAR. MDCCXLIII.  
DEMONSTRATIONI  
DE  
ANGELORVM CORPORE  
PROPRIO,  
SE PVBICE OPPONIT  
PRÆSES  
M. JOACH. LVDOLPH. MAYOHL,  
RESPONDENTE  
JOANN. FRIDERICO CHRISTOPHORO  
SENSTIO,  
ZARRENTINO MEGAPOL.  
PHILOSOPH. ET SACRATAR. SCIENTIARVM CVLTORE.

*2396*  
ROSTOCHII,  
Typis JOH. JAC. ADLERI, SER. PRINC. & ACAD. Typogr.





# INGRESSVS.



Longo verborum Syrmate rationes conferre,  
LECTOR FACILIS, quare in præsentia præ  
ceteris thematibus, ad hocce enodandum me-  
um induxerim animum, frustaneum esse, imo supervaca-  
num duco. Taceo, inferre contradictionem ILLVSTRIS  
WOLFII S. 126. seiner vernünftigen Gedanken von Gott &c.  
aliquem voluisse, contradictione nostra propositioni proban-  
dæ, quam tanquam axioma desiderat denotatus Autoris **S**us,  
ab illo allata: ne dicam quidem de eo nostri thematis usu,  
quem præstat in refutanda thesi RÜDIGERI philosophi quon-  
dam Lipsiensis, adstruentis in sua PHYSICA DIVINA: *omne*  
*subjectum finitum sine extensione non-ens esse*: rationem sufficien-  
tem jam asserta dissertationis inscriptio, quæ thesin demon-  
strationi de corpore angelorum proprio pronunciat inimicam.  
Cujus propositionis talem esse affectionem ut pluribus ostendam,  
in part. 2. operam navabo. In evincenda thesi ipsa omne  
meum exhibebit studium præmissa pars prima, in qua per di-  
versa capita demonstratur thesis nostra ob diversitatem limita-  
tionis, limitato in ente haud negligendam. Est vero de limi-  
tibus rerum agere secundum CANTZII judicatum in *suo regi-  
mine DEI*, ardui momenti negotium: ad præbendam veniam  
facilis erit LECTOR, error si quis irrepserit, & quidem eo fa-  
cilior, si non magis erroribus oneratus erit, quam prætiis præ-  
fens labor. DEVS hanc actionem qui vult, faciet eam par-  
ticipem finis intenti. Laus igitur & gloria DEVM man-  
abit per secula seculorum.

A 2

PAR-

## PARTIS I. SECTIO PRIMA.

DE

### LIMITATIONE GENERALI ENTIVM SIMPLICIVM.

**E**ns simplex est vis unica. §. I.

SCHOL. De hac definitione entis simplicis fundamentum ut innoteat. *LECTOR AMICE!* peto sequentia accipias. Ab illustr. WOLFFIO suppedirata substantiae definitio, quod substantia si ens perdurable & modificabile, ut agnoscamus *vim esse substantiam*, nos instruit, quia experientia magistra perdurable & modificabile in omni vi observamus. Ut palam vero fiat, quid de vi ulterius sit tenendum, viam patefacimus veritate ontologica ill. WOLFFII, que §. 792. ita sese habet: *in ente composito nihil datur substantiale præter entia simplicia.* Primo intuitu elucet ad eam classem enunciationum logicarum hanc propositionem esse referendam, que Logicis est propositio exceptiva. Secuturi igitur naturam propositionis exceptivæ, Autoris propositionem per duas sequentes explicabimus propositiones. I.) omnia entia simplicia sunt substantiae. II.) Nullum ens compositum est substantia. Per principia logica manet illa propositio firma, que conversione simplici hujus propositionis ultimæ instauratur: vera igitur erit propositio; *substantiam non esse ens compositum.* Absque ulla difficultate hinc infertur; *substantiam esse ens simplex.* Huc si afferas veritatem supra commemoratam: *vim esse substantiam*, concludendi, *vim esse ens simplex*, satis firmum sese offeret fundamentum. WOLFFII negativa de ente simplici definitio, quod ens simplex non constet ex pluribus a se invicem distinctis partibus, hunc usum perspicendum offert, vt, si vim perspiciamus, non plura a se invicem distincta in ea admit-

## ENTIUM SIMPLICIUM.

admittamus. *VIS VNICA ERGO ESTENS SIMPLEX.* Si attendimus ad entia simplicia & quidem primo ad elementa corporum , tribuimus illis vim : animæ hominum sunt entia simplicia , & vim illis assignamus : animæ brutorum æque sunt entia simplicia & nos vindicamus illis vim : DEO ea ratione , qua a nobis cognoscitur ut ens simplex , tribuimus vim. Brevibus si cognition entium simplicium nobis exhibetur , predicamus de illis vim. Ratio igitur sufficiens nobis suppeditatur , ut persistamus in universali enunciatione propositionis ; *OMNE ENS SIMPLEX ESSE VIM.* In antecedentibus demonstrata propositio : vis unica quod sit ens simplex , tibi jam inserviet , ut perspicias , propositionem , quod omne ens simplex sit vis , esse positive & negative reciprocabilem , ideoque profiteri requisita definitionis. Quam ob rationem a me defenditur etiam tanquam definitio entis simplicis per demonstrationem formata. Hujusmodi generis definitiones etiam invenies § III. Sect. I. & §. I. Sect. II. , quare etiam hæ uti præsentis Sphi definitio ad principia , in Systematibus metaphysicis evicta , referri debent. Ipse Ill. WOLFFIVS hunc modum definitiones formandi approbat : etenim si *spho* 837. *Ontolog.* per demonstrationem formata notionem entis finiti suppeditavit , sequentia in Scholio addidit : *Non invita methodo demonstrativa hæc notio entis finiti instar definitionis nominalis assumi poterat , nisi hic nobis propositum esset , res eo modo pertractare , quo ex notionibus obviis deducuntur.* Objectionem si quis afferat , ens compositum esse vim , indeque ulterius , universalitate sua laborare majorem ; *quod omnis vis sit ens simplex , remotam omnem difficultatem videbit , veritate in præmissis exhibita ; quod vis sit substantia.* Uti igitur entia composita aggregata substantiarum ab Illust. WOLFFIO dicuntur , ita etiam vis entium compositorum est aggregatum virium.

### §. II.

Quod ita existere incipit , cum nihil antea ejus esset , illud ex nihilo oritur ; uti ex nihilo producere idem

A 3

est

6 PART. I. SECT. I. DE LIMITATIONE GENERALI

est, ac existentiam impartiri ei, quod ex nihilo oriri  
debebat.

§. III.

*Creatio* est actus ab ente a se proficiscens, quo a-  
liquid producitur ex nihilo.

§. IV.

*Vis creabilis* est, in qua creationis notio est pos-  
sibilis.

§. V.

*Ens simplex creabile* est, quod vim creabilem a-  
gnoscit.

§. VI.

*Limes* est id, ultra quod nihil amplius in re con-  
cipere licet ad eandem pertinens.

§. VII.

*Vis limitata* est, quæ limitem agnoscit.

§. VIII.

*Vis existens & modificalta* est principium mutationis.

SCHOL. Adsumt, qui vim principium mutationis præ-  
dicant: at quilibet absque difficultate perspicet, sermonem  
esse illis de vi existenti. Secundum enim eorum concessa  
vis repræsentativa absolvit essentiam animæ; est vero etiam  
secundum eorum mentem anima in tempore creata & existen-  
tiæ redditæ. Si esset igitur illis sermo de vi non-existenti: prin-  
cipium mutationis in animabus ab æterno predicarent, quia vis  
constituit essentiam animæ & æterna est. Principium mutationis  
in ente cum sit actio, ab æterno animabus actionem assignare de-  
berent ideoque absurdum admittere: actionem entis posse esse  
prius existentia sua. Äquitas igitur interpretandi jubet, ut acci-  
piamus sermonem illis esse de vi existenti; si de principio muta-  
tionis differunt.

§. IX.

## §. IX.

*Actio est mutatio, cuius principium est subjectum, quod eandem conatur. Mutatio terminatur vel in ipso subjecto vel extra subjectum. In priori casu posterioris actionis immanentis notionem, ultima determinatio actionis transeuntis exhibebit notionem.*

**AXIOMA.** *Posito principio mutationis ponitur actio.*

**COROLL.** *Posita vi existenti & modificata ponitur actio (p. §. IX. Axiom. & §. VIII.)*

**SCHOL.** Annotata que sunt ab ILLUSTRI WOLFFIO ad §. 730. Ontolog. Part. II. Sect. II. Cap. II. pag. 546. per totam dissertationem nobis sunt commendatissima.

## §. X.

Quæcunque vis ab ente a se fieri potest existens, ea cognoscitur, uti vis, ultra quam aliam in ente cognoscere haud licet (Axiom.) Ergo vis creabilis cognoscitur sicuti vis, ultra quam aliam in ente cogitare haud licet. (p. §. IV.) Vis limitata vero est vis, ultra quam aliam ad eam pertinentem cogitare haud licet, (p. §. VII. & VI.) Ergo vis creabilis est vis limitata. Quod vero qua creabile est limitatum, notione creationis possibili est limitatum (p. §. IV. & III.) Ergo vis creabilis qua talis possibili notione creationis est limitata.

**SCHOL.** Laxiori sensu terminum axiomatis in propositione §. I. usurpamus, quam in scriptis EUCLIDIS & ARCHIMEDIS tenerur. In hoc significatu CLEBR. BÜLFINGERUS tria requirit ad axioma. 1) Debet esse propositio, quæ terminorum definitiones postulat, 2) Neber esse generale, 3) Desiderat, attendenti solis ex definitionibus ut displicescat, oppositam propositionem esse contradictoriam, adeoque impossibilem: illam

8 PART. I. SECT. I. DE LIMITATIONE GENERALI

Iam nostram vero necessariam, immutabilem, universalem, & exceptionis omnis impatientem. Comparetur ejusdem *dissert.* de *Axiomatis philosophicis*, §. IX. & X. seqq. Judicium interim illius de usu hujus notionis, quod afferit §. XXX, p. 17, factam comprobat denominationem,

COROLL. Notione igitur possibili creationis limitatum est ens simplex creabile qua tale (p. §. præced. & §. V.)

§. XI.

Limitatio, quæ in ente simplici cognoscitur notione creationis possibili audit limitatio generalis.

SCHOL. Cujusmodi limitationem eriam comprobat *Ceb. CANTZIUS Ontolog. Syllogistica dogmatica* pag. 182., & in *regimine Dei universalis Schol. I. Sect. I. Cap. I. §. X.* *limites inquit creatæ rei tribuuntur seu attributum, quia res crea-*ta *necessario habet limites.* *Allegati paragaphi dicta Schol. c.* *confirmat, res enim generativi limites habet;* ait, *quia finita nec infinita esse potest.* A data notione haud abhorret quoque *SUMMUS BÜLFINGERUS tractatu de origine & permissione mali,*

§. XII.

Resistentia agnoscit multitudinem entium existentium actione se invicem respicientium.

SCHOL. I. Reète discrimen desiderant inter impedimentum stricte sic dictum, & resistentiam, philosophi. Quæ duæ species pro genere agnoscunt impedimentum generativum. Quoad priorem speciem fatendum est, philosophos nondum versari in distincta ejus notione. Perlustravi plagulas jam ad me perlatas de METAPHYSICA philosophi, humanitatis doctrinæque laudibus ornatissimi, JOACH. GEORG. DARIES, J. U. D. & adjuncti amplissimæ Facultatis Philosophicæ, que JE-NÆ floret. Hic pag. 90. §. 104. ita de impedimento disserit: *si A, quatenus in se spectatur, ratio sufficiens ipsius B Ponamus*

I. AD 382 ENTUM SIMPLICIUM.

namus C continere rationem, cur A fiat ratio ipsius B insufficiens: C vocatur impediens, & quo rationem continet, seu ratio ipsa impedimenti accepit nomen. Me judice impedimenti haec definitio non est generalis, sed convenit cum notione, quam quilibet cum resistentia termino conjungit, duas enim diversas desiderat Autor substantias. Quo charactere tamen notio nem impedimenti carere posse, cognitum exhibebit philosophia moralis. Adjutor dictorum etiam existit autor l. c. §. LIII. pag. 318. Negationem etiam, harmoniae praestabilita nisi ostendat impossibilitatem plenariam, toleramus a nomine.

SCHOL. II. Definitio Excellentiss. REUSCHII de resistentia per omnia mea cum notione convenit. Vid. ejusdem Cosmolog. Cap. III. §. 550. pag. 365.

§. XIII.

Vires creabiles sunt limitatae creationis notione possibili (p. §. X.). Limitatio virium notione possibili creationis involvit privationem existentiae p. §. IV. III. II.). Ergo vires creabiles existentia sunt private. Vis privata sua existentia, non est vis existens (Axoma). Ergo Vires creabiles non sunt vires existentes. Vis haud existens non est principium mutationis (p. §. VIII.) Negato principio mutationis negatur actio (p. §. IX. Axiom.). Ergo in vi haud existenti negatur actio. Vis creabilis est vis separata ab existentia (p. §. IV.). In vi igitur creabili negatur actio.

COROLL. I. Entibus igitur creabilibus nulla tribuitur actio (p. §. VI. & præced.)

COROLL. II. Resistentia agnoscit entia existentia actione se invicem respicientia (p. §. XII. Entibus ergo creabilibus nullam tribui posse resistiam, patet.

B

§. XIV.

## §. XIV.

Entibus simplicibus creabilibus non tribuitur aetio (p. §. XIII. Coroll. I.) nec resistentia (p. §. XIII. Coroll. II.), inest vero illis limitatio generalis (p. §. XI.) Ergo entia simplicia generaliter limitata absque resistentia sunt possibilia.

## §. XV.

Quicquid est possibile id nullam affert repugniam, (propositio honoraria): *Entia igitur simplicia, generaliter limitata, remota resistentia nullam involunt contradictionem (p. §. XIV.)*

## PARTIS I. SECTIO SECUNDA.

### DE LIMITATIONE SPECIALI ENTUM SIMPLICIUM.

## §. I.

**E**ns compositum est, quod ex pluribus entibus simplicibus certo modo coexistentibus constat.

SCHOL. Per certum coexistendi modum speciatim hic intelligimus; quod in quolibet ente composito quodlibet ens simplex alio modo reliquis, in ente composito admittendis, coexistat v. g. si ens compositum per coexistentiam entium simplicium A, B, C, D. est constitutum: quilibet videt, B alio modo coexistere A, quam C & D, & C iterum alio modo D, quam B, pariter ac A.

## §. II.

Mundus hic aspectabilis a Deo creatus est (p. §. 344. *Theolog. Natural. Ill. WOLFFII Part. II.*) Ergo etiam ens compositum (p. §. 62. *Cosmolog. ejusdem*), & entia

entia simplicia, certo modo coexistentia, a DEO creata adeoque facta sunt (p. §. III. Sect. I.) DEUS vero nihil facit sine fine (p. §. 295. Theol. Natural. Part. II. Ill. WOLFFII). DEUS ergo, quatenus uni enti simplici præ reliquis certum coexistendi modum contribuit, non fecit sine fine. Qui non sine fine facit, in usu remediorum versatur, (est Definitio). Qui in usu remediorum versatur, finem per medium existentem reddit (est definitio). Ergo DEUS, quatenus uni enti simplici præ reliquis certum coexistendi modum tribuit, finem per medium existentem exhibuit.

COROLL. *Ipsum ergo ens simplex debet esse medium* (p. §. præced.)

### §. III.

Ponamus hoc ens a nobis denotandum per B, quod præ reliquis, quæ exprimere placet per C, & D, certam coexistentiam cum alio, designato per A, accipit, esse idem cum reliquis: B non magis continet rationem, quare finis existere potest, quam reliqua per C & D, connotata (p. Definitionem identitatis) B ergo non magis est medium quam C & D. (p. præcedentia). DEUS ergo, quatenus B præ ceteris C & D usus est, finem haud existentem reddidit per medium (p. præcedentia); Consequenter in usu remediorum haud est versatus, quare hæc actio a DEO perpetrata est sine fine: hoc cum pugnet cum veritate, §. 295. Theol. Natur. Part. II. Ill. WOLFFII demonstrata: qua DEUS nihil facit sine fine, ens B esse diversum a reliquis, patet. *Ens vero consideratur per se*, quatenus consideratur sine relatione ad alia, (est

B 2

Defini-

Definitio). Ergo ens B per se esse debet diversum a rebus.

SCHOL I. Quilibet perspicit eodem plane modo procedere demonstrationem, qua adstruitur reliquorum entium diversitas intrinseca. Ut etiam penitus tollatur dubium eorum, existimantium; rationem coexistentiae unius entis simplicis praeter altero posse mere subjectivam esse: hanc thesin ex principiis Theologie Naturalis demonstravi. Rejicimus hac demonstratione, quae contra principium indiscernibilium profert Dr. DARIES l. c. pag. 310. Schol. §. XLII.

SCHOL II. Perfectionem singularem cuiuslibet entis simplicis finiti absolvit jam demonstrata diversitate unius ab aliis entibus, sine ulla difficultate patet. In plerisque entibus etiam eorum diversitatem summatis tantummodo perhibere licet; testante JOHANNE CLERICO in operibus philosophicis & quidem Cap III. Ontol. §. 13. Boutiatem, ait, non nisi summatis cognoscere in plerisque entibus possumus. Primo nobis ignotus est magna ex parte finis, propter quem DEUS singula entia creavit, seu quicquid sibi creatione singulorum entium efficere proposuerit, nescimus aut non satis videmus. Secundo ut plurimum, qua via ad eundem finem perveniat, nobis non constat, quia neque intimam substantiam entium, neque omnes eorum proprietates notas habemus. His autem duobus ignoratis, aut confuse notis, bonitatem singulorum entium nos fugere necesse est. Nolumus ergo determinatam minimorum entium simplicium diversitatem, omnibus jam cognitam indicare, & diversis nominibus exprimere.

#### §. IV.

Entia simplicia creabilia per se debent esse diversa (p. §. præced.) Vires creabiles entium simplicium sunt entia simplicia creabilia (p. §. V. Sect. I.) Vires ergo creabiles entium simplicium per se debent esse diversæ.

SCHOL. DOCTISS. DARIES nullam aliam intrinsecam entium diversitatem admittit nisi illis ad locum delatis. Quare l. c.

I. c. & quidem Se<sup>c</sup>t. I. Cap. II. Ontolog. stricte sic dicta pag. 169. seqq. fundamentum diversitatis virium ita exhibet ut vim §. X. definiat per id, quod rationem actualitatis aliquius in se continet. Ratio vero cum sufficientis & insufficien-  
tis determinationem sustineat, vim §. XI. in sufficientem distin-  
guit & insufficiem. Fassus est §. XII. vim sufficientem so-  
lummodo agnoscere notionem actionis. Ipso cum §. XV. o-  
stendendi diversitatem virium initium facit, sermocinans se-  
quentem in modum: *Vis insufficiens* (nota, est una species)  
fieri potest sufficiens (altera species) vel tantummodo per princi-  
pium removens, vel per principium efficiens, vel per principii ef-  
ficientis & removentis connexionem. Quatenus insufficiens vis  
sufficiens esse potest per principium removens dicitur activa, qua-  
tenus per principium efficiens, passiva, & quatenus per principii  
removentis & efficientis connexionem, vis activo-passiva. Ne-  
glexit hic quartum modum, quo vis insufficiens fieri potest suf-  
ficiens, AUTOR HONORATISSIMUS, qui est principium  
impedimentum offerens. Eiusdem Ontolog. stricte sic dicta Se<sup>c</sup>t.  
II. pag. 192. §. 51 realitatem exhibet, sequens enim continet  
theorema: *Si substantia A* (quæ Autori est vis existens) in  
agendo impeditur, sed ita, ut impedimentum illud sit minus acti-  
one ipsius A, status agendi ipsius A in aliud quendam agendi sta-  
tum mutatur. Quæ replicatur sumus ad datam notionem vis,  
ea sine ulia difficultate cognoscenda exhibebit Se<sup>c</sup>t. I. Necesse  
igitur erit ad Autoris argumentationem, qua corroborare di-  
versitatem virium vult, ut progrediamur. Negotium hocce  
subituri a determinata specie ad possibiliter alterius, quæ  
cum determinata specie sub eodem continetur genere, Auto-  
rem nostrum concludere videmus: *Fieri vero potest*, ait, *ut vis*  
*insufficiens fieri possit sufficiens*. Quia vero vis insufficiens, &  
sufficiens sunt species de vi, quæ modaliter tantum debent de-  
vi prædicari, modus argumentandi per allegatos Autoris para-  
graphos hic est: A genere modaliter ad speciem determina-  
tam valet consequentia. Quo modo concludendi approbato  
inferimus: *Vis creata est vis insufficiens, & vis increata est*

vis sufficiens. Ergo vis creata fieri potest vis increata. In hac argumentatione ulterius urgenda cesso, amicus ne mihi evadat inimicus. Quemlibet interim, argumentationem Autoris cognoscetrem, abstinebit contumelia. *Ontolog. stricte sic dictæ Autoris Sect. I. Cap. I. pag. 164. §. 3.* Scholion sequens: *Cave tamen, ne principium in Logicis demonstratum, quod a genere ad speciem valeat consequentia, ut etiam sapissime ab illis, qui sibi soli sapient, cum multorum, nescio quo fato, applausu fieri solet, ad obvia male accommodes argumentando: Si, quicquid est ens, separatim ab aliis existere potest, etiam hoc vel illud ens obvium sub determinatione specifica spectatum ab aliis separatim existere potest. Eiusmodi enim argumentationes me semper ad misericordiam allegerunt. Quoniam, quæ de genere tantummodo modaliter, ut loquar cum Logicis, dicuntur, ad inferiora non, nisi in conceptu generico spectata, accommodari possunt, non vero ad ea, quatenus specificè spectantur, necessario accommodanda. Fieri sane potest, ut respectu determinationum inferiorum specificarum sint impossibilia, vid. §. XII. Coroll. II. Phil. I. Hec femele dixisse sufficiant.*

## §. V.

Si entibus creabilibus & simplicibus per se inest diversitas, illis per se inest id, ultra quod nihil amplius in ente cogitare licet. (Axioma). Enti ergo simplici creabili per se inesse limitem apparet. (p. §. IV.)

## §. VI.

*Limitatio, in ente creabili admittenda sua ab aliis diversitate, ferat nomen limitationis specialis.*

**COROLL.** *Ens simplex igitur creabile per se agnoscit limitationem specialem (p. §. VI. & III.)*

**SCHOL.** Cum ens simplex finitum sit substantia finita, facile apparet, quamlibet substantiam finitam per se agnoscere diversitatem ab altera substantia, indeque limitationem. Qui igitur fundamentum de possibilitate mundi infiniti struunt identitatem

titate substantiarum in mundo, firmo destituuntur fundamento. Quod videre licet apud CANTZIUM notionibus suis fundamentalibus sive manissa notionum adjecta libro cui titulus: *Regimen DEI universale* pag. 1000*I.* §. 578, 79. seqq. Qui etiam *Theolog. natural. Thetico polemica* pag. 514. *Sect II. Cap. II.* mirabundus insurgit contra eos, qui pro veritate demonstrata accipere hanc Thesis suam recusant. Terminum infinitudinis in sensu mathematico, cum mundo conjungi posse, ostendit CEB. NOSTER RÖNNEBERG, P. F. O. me respondente disserit. de mundo finito & infinite.

## §. VII.

*Limitatio specialis enti simplici creabili per se competit* (p. §. VI. Coroll.); Illa igitur ei non inest multitudine entium, actione se invicem respicientium. Ergo *limitatio specialis enti simplici creabili sine resistentia inest* (p. §. XII. Sect. I.)

**COROLL.** *Limitatio igitur specialis in Ente, remota resistentia, nullam involvit contradictionem* (p. §. XV. Sect. I. & §. præced.)

## PARTIS I. SECTIO TERTIA.

### DE LIMITATIONE SPECIALISSIMA. ENTIUM SIMPLICIUM.

## §. I.

**Q**uod essentialibus non repugnat, minime vero per essentialia determinatur, *modus* dicitur.

**AXIOMA.** *Modus essentialibus haud repugnat.*

**COROLL.** *Existentia igitur in ente specialiter limitato est modus* (p. §. præced. & §. VI. Sect. II.)

## §. II.

## §. II.

Cum modus essentialibus non repugnet (p. Axiom. paragraphi præced.) existentia non repugnat entibus specialiter limitatis, (p. Coroll. paragraphi ejusd.) Ergo non diversitati entium creabilium (p. §. VI. Sect II.)

**COROLL.** Si igitur alicujus entis simplicis diversitas in eo a reliquis appareat, quod sit vis libera, existentia vim liberam haud tollit.

## §. III.

Posita vi entium simplicium specialiter limitatorum existente, & modificata ponitur actio eorundem (p. Coroll. §. IX. Sect. I.). Atqui si entia simplicia specialiter limitata sunt existentiae redditæ & modificata, ponitur dictorum entium vis existens (est Axioma) Ergo si entia specialiter limitata sunt existentiae redditæ & modificata, ponitur actio entium simplicium specialiter limitatorum.

**SCHOL.** Modificatio his entibus specialiter limitatis vel ita ineft, ut illa exhibent existentiam suam, vel non. Sub determinatione priori cognoscimus in illis modificationem, qua si bi ipsis myrio relationem internam effectivam haud efficiunt: quia illa relatione destituuntur entia in existentia considerata. Hanc determinationem pre se ferunt paragraphi sequentes.

## §. IV.

Actio est mutatio, cuius principium est subjectum, quod eandem conatur (p. §. IX. Sect. I.) At vero si entia specialiter limitata, sunt existentiae redditæ & modificata, ponitur actio entium simplicium specialiter limitatorum (p. §. præced.) Ergo si entia simplicia specialiter limitata sunt existentiae redditæ & modificata, ponitur mutatio, cuius principium est subjectum, quod eandem conatur.

## §. V. Po-

## §. V.

Ponamus actionem transeuntem, ideoque mutationem terminari in ente, quod est a subiecto tanquam principio mutationis diversum (p. IX. Sect. I.); Ergo consideramus entia simplicia specialiter limitata, & praesentia, (per Definit. præsent.) non vero mere existentiae reddita. Quod cum sit contra (Scol. §. III.) liquet etiam, mutationem poni debere in ipso subiecto, quod illam conatur, ideoque in ente simplici specialiter limitata & existentia reddito.

SCHOL. Sermocinamur non de actione ideali sive typica, sed de actione entis effectiva.

COROLL. Ex dictis ergo elucet actio immanens entium simplicium specialiter limitatorum existentiumque & modificatorum.

SCHOL. Entium simplicium finitorum & existentium actionem immanentem qui inserviantur, pro medio termino stabilunt: quia actio entis simplicis finiti in se ipsum, est actio eius quaqua versum. Canonis veterum hic memor sum: unius positio non est alterius exclusio, ad quem arripiendum *Lectori amico* rationem sufficientem exhibebimus, si dictam propositionem justa conversione excipiamus, quæ sequens erit: non actio entis simplicis quaqua verbum est non actio entis simplicis finiti in se ipsum. Comparetur excellentissimus Reuschius §. 85. Metaphyf.

## §. VI.

Perhibet experientia communis: actionem entis mutari in aliam actionem; in illo agente si mutatio ponitur.

## §. VII.

Entia simplicia specialiter limitata existentiae & modificalta exhibent actionem immanentem (p. Coroll. §. V.); Consequenter mutationem intrinsecam

C

(p. §. IX.)

18 PART. I. SECT. II. DE LIMITATIONE SPECIALISSIMA

(p. §. IX. Sect. I.) In entibus ergo simplicibus specialiter limitatis existentibusque & modificatis actio semper in aliam mutatur actionem (p. §. VI.)

COROLL. In dictis ergo entibus est successio actionum.

§. VIII.

Successio modorum in ente specialiter limitato existenteque & modificato nomen limitationis specialissimae sustinet.

SCHOL. A CANTZIO haec species limitationis Ontologia sua syllogistica-dogmatica §. 376. pag. 182. insignitur nomine limitationis in particulari seu in individuo.

§. IX.

Existentialia entis specialiter limitati est modus (p. Coroll. §. I.) Ab hoc modo deduximus in eodem ente actionem immanentem (p. §. IV. & V.) Qua determinatione admissa collegimus actionem ab antecedente diversam (p. §. VII.) ideoque in entibus specialiter limitatis existentibusque & modificatis cogitamus successionem modorum sine multitudine entium, actione se invicem respicientium, & sine resistentia (p. §. XII. Sect. I.)

§. X.

Quicquid est possibile id nullam involvit contradictionem (p. §. X. Sect. I.) Successio modorum ergo sine resistentia entibus specialiter limitatis existentibusque & modificatis haud contradicit (p. §. præced.)

COROLL. Limitatio igitur specialissima entibus specialiter limitatis existentibusque & modificatis nullam affert contradictionem sine resistentia (p. §. IX. & præced.)

SCHOL. I. Thesin hanc a nobis demonstratam aliquo modo comprobant verba SUMMI BULFINGERI sermone de myste-

mysteriis fidei generatim spectatis pag. 8. Quis negat, inquietus, posse Deum facultates mentis humanae perficere aut supplere, hoc est, in vim animę ingenitam novis quibusdam modis sic operari, ut intelligat, que hujus corporis typo non praeceps limitentur. Expectamus eam facultatum perfectionem, dum Caelites erimus. Allata vero definitione de limitatione specialissima §. IX. demonstrationem de possibiliitate hujus limitationis absque resistencia inveniemus apud CANTZIUM Ontolog. Syllog. (§. 351.)

Pag. 168.

SCHOL II. GOTTLIEB HANSCHIUS principiis Phisosophiae Leibnitizianæ pag. 82.83. Theor. XXII. : Omne ens creatum mutationi est obnoxium, & Theorematem XIII : mutationes monadum derivatarum naturaliter continuae sunt, ipsa in thesi nobiscum facit, et si probatione a nobis dissentiat, dum ea hac intendit, ut ostendat hunc limitationis modum esse tantummodo possibilem. Nos probatione nostra minime tollimus modum, quo ens aliquod finitum limitari potest per aliud ens effective. Quia de materia in præcio habendum est Cap. III. Cosmolog. SUMMI REURCHII. p. 363 seqq.

## PARS II.

QVÆ DETRAHIT DEMONSTRATIONEM THESI, PRONUNTIANTI, ANGELOS NON POSSE NON CORPORI ESSE JUNCTOS.

§. I.

Instituere cum Lectorem volumus, ut dirimat veritate hactenus demonstrata thesis demonstrationem, quæ adstruit, angelos non posse non corpori esse junctos: Duo commode hic deserenda omittemus, alterum, quod historiam eorum, circa thesin hanc & corroborandam & destruendam qui sategerunt, haud sumus

C 2

indi-

## 20 PARS II. DISCUTIENS DEMONSTRATIONEM

indigitaturi, posterius vero est, quod non pluribus patefacturi simus nostram hac de re sententiam: quo in statu respicimus ad verba JOHANNIS CLERICI operibus philosophicis & quidem pneumatologia Sect. II. Cap. I., quæ ita sonant: *Qui negant aut affirmant, posse esse spiritus sine ulla corporea proprietate, si longius aequo progressiuntur: uti in anteriori determinatione labores celeb.* REUSCHII *Pneumat. hypoth.* §. 1107. & 1113. SUMMI HANSCHII *l. c. theor.* 110. Schol. III. §. IV. pag. 162. §. 163. Lectori commendatos volumus: *Omnis jure huc etiam est referendus ADRIANUS HEEREBOORD,* sententiam naturarumque & angelorum operationes per quinque dissertationes pneumatol. sua, quæ est meletembris philosophicis adjecta, pertractans.

## §. II.

Thesis, efferentis quemlibet spiritum finitum habere corpus proprium, demonstrationes, a diversis philosophis confectas, & quas perspicere mihi licuit, plane easdem cognovi ea cum demonstratione, quæ existat. *Celeb. CANTZII regimine DEI universali sive juris prudentia Civitatis DEI publica* pag. 245. §. 364. qq. Quam pro objecto electuro suasores mihi sunt & illius interna constitutio & verba autoris in seinem überzeugenden Beweis abtreffend die Unsterblichkeit, pag. 243. §. 154. ubi, demonstrationem de corpore cuiilibet spiritui finito tribuendo esse omni modo absolutam, in his verbis expressit, doch ist gewiß, ich habe den Sach in meinem geringen Büchlein von der Stadt OÖttes vom §. 364. bis auf §. 387. nicht nur genug bestätigt, sondern auch wieder alle Einwürfe verfrochten. Dürfte also nicht nöthig seyn, dieses Ortes mehrs einzuschalten, ich kan ja den geneigten Leser, wo derselbe beliebet auf die angezo-

gene

gene Stelle meines Büchleins verweisen. *Propositio universalis* cum sit, in qua *subjectum intuitu prædicati in rotata sua sumitur extensione*, *Autorem etiam sua universalis propositione implicite indicare*, angelos non posse non agnoscere corpus, est sole meridiano clarus. Expressis etiam verbis hanc thesin pronunciat l. c. 723. §. 935. B. C. Quicunque præter eum hanc thesin foverent, illi eandem ex eadem plane ratione pugnant.

## §. III.

Esse thesin nostram adversam Cantziaz de corporibus angelis tribuendis demonstrationi, ut ostendamus, ipsa Autoris scholia, suæ demonstrationi adiuncta, nobis sunt adjumento. Evolvas igitur loc. cit. §. 384. N. pag. 262 ubi sequentia invenies: *Argumentum ducimus a finitudine, non a statu nostro præsenti, quo habemus corpus proprium. Hæc est nostra sententia jam satis demonstrata, spiritum omnem, quia finitus sit, corpori secundo prædictum, quod corpus limitare ejus perfectiones debet. Eodem cum fructu perlegas* §. hi 384. M. pag. 262. sequentia; *Argumentum a modo perciendi in hac vita non petimus ad explicandum modum, quo uruntur omnes in universum spiritus: sed a finitudine, quæ omnibus spiritibus competit; duximus ratiociniorum seriem longam, sed non interruptam, ad corporis in unoquoque spiritu necessitatem. Quem capiat admiratio? si his cognitis leget quæ afferit Ius* 181. pag. 275. Autoris Ueberzeugender Beweis w. Die Kraft, ait, ist das vor sich bestehende, welches sich allezeit befrebet, treibet, anlässt, daß es würcken möge, und auch in der That, so viel entweder mercklich oder unmercklich würcket als viel oder wenig größere Kräfte entgegen stehen, in quo spho pag. 275. pergit: eine solche Kraft ist auch in allen Seelen, nur mit dem

dem Unterscheide, daß die letzte auf die Empfindung geht; wie die ersten, (nämlich die Kraft in allen Elementen der Körper) auf die Bewegung. L. c. Spho 182. dicta exemplis illustrat. Perferre in hoc conamine malumus, nos æquo abundantiores esse quam ut nos aliquid neglexisse alicui videamur: Quare addo l. c. Sphum 89, ubi, dubio contra immortalitatem animæ formato, sequentia regessit autor: Wie verwirren oft die Menschen die allerleichtesten Fragen, und machen sich Knoten, wo keine sind. Es trittet ein grosser Unterschied vor, unter der Kraft zu denken an und vor sich selbst, und unter deren Anwendung auf diese und jene Vorwürfe. Die Kraft selbst hängt nicht im geringsten vom Leibe ab. Sie ist die Seele selbst ein vor sich bestehendes Wesen, einfach und unauflöslich, rein und ewig. Aber daß diese Kraft zu denken so und so kan angewandt werden, das kommt allein auf dem menschlichen Leib an. Quam ultimam propositionem mentiri speciem propositionis exclusivæ Partis I. Sect. III. luculenter satis indicat, quæ etiam cum reliquis sectionibus Part. I. destruit majorem Autoris, ad memoriam tantummodo revocata philosophorum de corpore definitione, ex antecedentibus ita formandam: Ubiunque cogitatur spiritus limitatus; ibi cogitari resistentiam necesse est. Substituas, si placet, proente limitato spiritum creabilem, qui, quia spiritus est vis & ens generaliter limitatum, sine resistentia agnoscitur limitatus; suscepta applicatione Sphorum Sect. I. Part. I. Quia vero etiam vim repræsentativam distinctam agnoscit spiritus creabilis, habet per se diversitatem præ reliquis entibus finitis, ideoque admittit limitationem specialem, eandemque siue resistentia, applicatione Sphorum Sect. I. Huic spiritui, cogites, existentiam impertiri, & ac commo-

commoda ei sectionem tertiam, tunc videbis limitationem specialissimam etiam in spiritu finito remota resistentia nullam affere repugnantiam.

#### § IV.

Paragrapho II do si commemorata thesis totam demonstrationem, quæ l. c. pag. 245. usque ad pag. 269. extenditur, describimus, majorem Lectori paramus molestiam, quam utilitatem. Posterius cum intendamus, ad exscribendos phos 371. A. B. tanquam principia, initio statim demonstrationi inserta, tantum nos accingemus, & nexus horum dijudicabimus. Ut enim, admissa horum sphorum consequentia, legitime procedet Autoris conclusio: sic, prolixa ratione sufficiente consequentia neganda, offeremus cuilibet fundamentum negandi conclusiones: debere omnes spiritus corpore esse instructos, & necessario adscribendum esse angelo corpus. Rationes nostras antequam proferimus, præmittimus ipsos Autoris sphos, in his verbis ab eo expressos. A. Quoniam spiritus finitus non nisi certa mundi objecta clare & perpetuo percipit & ex horum clara perceptione tum denum ideas distinctiores evolvit, intelligimus sane eum reliqua mundi objecta plus, minus clare, aut distincte percipere, prout majorum, minoremve distantia & relationis nexus habent cum illis objectis, quæ ei perpetuo adsunt. B. Habet ergo spiritus finitus certam objectorum mundi multitudinem sibi semper immediate presentem. Non possum, quin diffitear, hic obvenientem consequentiam: habemus certarum rerum in mundo obviarum representationem, ergo habemus certam objectorum mundi multitudinem nobis immediate presentem, mihi esse perspectam. Qui hic occurrit modus argumentandi non differt a sequenti argumentatione: est mihi representatione mille thalerorum, ergo mille thaleri immediate sunt mihi praesentes. Ut hunc modum argumentandi quilibet rejicit, ex eodem capite Autoris argumentum, cui meum conformavi, esse rejiciendum quis est qui non videt? Cum jam vidimus, quibus cum rationibus afferatur, angelos habere debere corpus, unusquisque etiam animo comprehendet, per exiguae, ne dicam nullas esse rationes eorum, qui cum Autore

24 PR. II. DISCUT. DEMONST. DE CORP. ANGELORUM.

re Anonymo libri inscripti: philosophiae Wolffianæ consensus cum Theologia Lib. I §. III, pag. 3. hominem definunt per creaturam mente seu anima λογικη & corpore organico instructam, primitus extellure praesenti, quam incolimus, desuntam: illorum enim ratio nulla alia est, quam quod vident, admissa thesi; angelos habere debere corpus, definitionem hominis, per animal rationale exhibitam, eodem vito esse laboraturam cum platonica hominis definitione, i. e. illam fore latiorem sua definitio.

§. V.

Sectionis tertiarum unicum adhuc usum sub fine ex-prompturus, afferro CANTZII tractatum de Idealismo adjunctum Ontolog. Polem. ubi AUTOR EXCELL. pag. 431. §. 46, modorum possibilium enumerationem, unde animæ limitatio in individuo, quæ nobis est specialissima (p. §. IX. Sect. III.) originem trahere potest, promitt. Schema totius paragraphi hoc est

Animæ limitatio in Individuo habet

rationem

vel in sola anima, vel simul extra eam

vel in Ente infinito, vel finito

vel angelis, vel aliis animabus, vel corporibus eorumque elementis.

Circa remotionem membrorum, ultimum precedentium cum versetur AUTOR CELEB., hoc mihi monendum sumo, Autorem in sublatione ante penultimi & membra penulti pariter ac membra ultimi positione minus recte procedere, omisso ab eo in quoibet membro divisionis subdivisione in rationem typicam, opponendam rationi effectivæ, quarum priorem ab impossibilitate tuerit Sect. III. Part. I.

Usum thesis demonstrata si hic præcipimus, & tamen argumentum de existentia corporum contra Idealistas tollimus, non aliter than in nostram fructuosam desideramus, quam ut appareat, nos ad convincendum Idealistas argumento Autoris incommodo esse progressiores, & Lectorem ut dictis Cantzianis confirmemus, esse ejus sententiam, nostræ Part. I. Sect. III. demonstrate oppositam: Ens simplex secundum limitationem specialissimam consideratum involvere contradictionem

FINIS.

45 (o) 58

**ULB Halle**

003 856 674


3





B.I.G.

Farbkarte #13



Q. B. D. V.  
DISSERTATIO ONTOLOGICA,

VERITATE  
QVA,

QVOD ENS SIMPLEX LIMITA-  
TVM REMOTA RESISTENTIA  
HAVD INVOLVAT CONTRADI-  
CTIONEM,

CONSENTIENTE  
AMPLISSIMO PHILOSOPHORVM ORDINE

LLVSTRI AD VARNVM ACADEMIA  
IN  
DIE XXIII. FEBRVAR. MDCCXLIII.

DEMONSTRATIONI  
DE

ANGELORVM CORPORE  
PROPRIO,

SE PUBLICE OPPONIT

PRÆSES

I. JOACH. LVDOLPH. MAYOHL,

RESPONDENTE

OANN. FRIDERICO CHRISTOPHORO  
SENSTIO,

ZARRENTINO MEGAPOL.

PHILOSOPH. ET SACRATAR. SCIENTIARVM CVLTORE.

R O S T O C H I I,

Typis JOH. JAC. ADLERİ, SER. PRINC. & ACAD. Typogr.

